

*Patti per risolvere una lite tra
Guglielmo Ruffo e il fratello Ruggero*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Patti per risolvere una lite tra
Guglielmo Ruffo e il fratello Ruggero*

1334-08-03

In nomine Domini nostri Iesu Christi amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo trecentesimo trigesimo quarto, die tertio mensis augusti secunde indictioni apud Rhegium. Regnante serenissimo domino nostro rege Ruberto, Dei gratia illustrissimo Ierusalem, et Sicilie rege, Ducatus Apulie, et Principatus Capue, Provincie, et Folcaquerii, ac Pedemontis comite. Regnorum suorum anno vigesimo sexto feliciter amen.

Nos Bernardus de Prelato iudex civitatis Rhegii, Ioannes de Macua de Rhegio publicus per totum Ducatum Calabrie regia auctoritatem notarium, et testes subscripti ad hoc vocati, specialiter et rogati. Presenti scripto publico notum facimus et testamur, quod pretitulato die constituti in nostra presentia magnificus dominus Guglielmus Ruffus de Calabria, comes Sinopolis et capitaneus dicte civitatis Rhegii, et a Capite Brutiani usque ad Balneariam inclusa, per se ex una parte, et vir egregius Rogerius Ruffus de Calabria, frater ipsius domini Guglielmi comiti, habitator Rhegii, pro se ex parte altera, animo obligandi se sponte confessi sunt. Quod cum quedam litis, discordia, seu controversia verteretur inter partes predictas, de quodam pheudo dicto de Libonesio, sito in casali Sancti Ioannis de Manico, de Iustitiariatu Calabrie, quod dictus Rugerius tenet et possidet, super eo inde, quod dictus dominus Guglielmus comes, asserebat predictum Rugerium, fratrem suum teneri, et deberi servire, et prestare eidem comiti, dicte Terre Sinopolis, nomine pheudali servitium, cum servitium pheudale generale prestatur per barones ipsius Iustitiariatus Calabrie, dicto domino nostro, regi servitium unius militis, prout idem Rugerius hactenus quondam viro egregio Petrino

Ruffo, ipsius terre Sinopolis domino nepoti eiusdem, pro dicto pheudo prestare solebat, pheudale servitium supradictum. Et ex adverso predicto Ruggerio, predicta neganti et asserent, eundem Ruggerium dicto comiti, pro dicto pheudo in aliquo non teneri, sed immediate et in capite se tenere domino nostro regi, ipsum pheudale servitium prestare pro pheudo supradicto. Tandem dicti dominus comes et Ruggerius volentes, ut asseruerunt viam precludere litibus, et questiones quaslibet evitare. Intervenientibus pro consilio et tractatu quorundam nobilium virorum, et consanguineorum, et amicorum eorum. Unanimiter concorditer, ac voluntarie, et ex certa eorum scientia, non per errorem, sed de eorum bona, grata, spontanea et libera voluntate, de lite et discordia, seu controversia supradictis, nec non de omnibus aliis litibus discordiis, seu controversiis, occasione quacumque, vel modo quocumque expresso, vel non expresso inter partes predictas que vertebantur, vel oriri possunt ad infrascriptam transactionem. Pactum et finalem concordiam insimul devenerunt, habilis prius inter partes predictas. Pactis conventionibus infrascriptis: in primis dictus dominus Guglielmus comes ex abundanti, de novo in perpetuum per se, suosque heredes et successores in dicta terra Sinopolis confirmavit, et ex certa sua scientia innovavit, eidem Ruggerio, fratri suo, pro se, suisque heredibus et successoribus suis in perpetuum recipienti nec non habenti ius, et tamquam ab eodem predictum pheudum, dictum et nominatum de Libonesio, quod existit in predicto casali Sancti Ioannis de Manico cum omnibus iuribus, rationibus, proprietatibus, et pertinentiis ad dictum Pheudum spectantibus ipsumque pheudum de Libonesio cum iuribus, omnibus redditibus, proventibus,

territoriis, tenimentis, ac pertinentiis suis, ipsi Ruggerio dictus comes, ad maiorem cauthelam donavit, et de novo concessio, ac per fustem tradidit, publice et bona fide, et irrevocabiliter inter vivos ad habendum, tenendum, possidendum, uti fruendum, et gaudendum semper ex quicquid eidem Rugerio et suis heredibus de ipso pheudo placuerit perpetuo faciendum cum omnibus, et singulis iuribus que ipsum pheudum habet supra se, infra se, seu intra se, sub servitio dimidii militarii servitii, prestando per eundem Ruggerium, suosque heredes et successores, nec non habentes ius et tamquam ab eodem et alios eorum nomine, dicto domino comiti, pro dicta terra Sinopoli, et successoribus eius in eadem terra cum generale servitio pheudali in regno Sicilie per barones dicti Iustitiariatus Calabrie prestabitur domino nostro regi, et suis successoribus in eodem regno. Hoc adiecto inter partes eosdem quod si dictus dominus comes personaliter, vel suis successores, in dicta terra Sinopolis personaliter intersint ad praestandum dicto domino nostro regi, vel suis successoribus, pro dicta terra Sinopoli pheudale servitium debitum curie, pro dicta terra Sinopoli, quod dictus Ruggerius per se, suosque heredes et successores in dicto pheudo, teneatur et debeantur dictum servitium dimidii militis personaliter prestare dicto domino comiti, et successoribus suis in dicta terra Sinopoli, ut alii pheudatarii personaliter servire tenentur. Si vero dictus Ruggerius, vel sui heredes et successores in dicto pheudo, aliquod aliud pheudum aliquo futuro tempore in capite a regia curia tenebunt, pro quo eidem regie curie pheudale servitium personaliter prestare teneantur, quia tunc cum debeat maiori curie, seu tribunale, seu domino oboedire, et personaliter servire dicto domino comiti, et successoribus suis, ut

predicatur dictus Ruggerius per se, suosque heredes non personaliter, sed per substitutum servire, ex prestare dictum servitium tenetur pro pheudo dicto. Item si forte dictus comes, vel sui successores, in dictam terram Sinopolis, cum generale prestatur pheudale servitium non personaliter dicto comite nostro, regi vel suis successoribus, pro dicta terra Sinopoli, pheudale prestabunt servitium, quod dictus Ruggerius, suique heredes et successores in dicto pheudo, pro nulla causa, seu nullo modo teneantur personaliter dictum servitium dimidii militis servire per eos, vel per alium eorum nomine servire, et prestare possint, etiam si nullum aliud pheudum in capite tenerent a regia curia pro quo servire personaliter tenentur, nec non eundem Ruggerium, suosque heredes et successores in dicto pheudo, dictus comes et suis successores, non teneantur in causa presenti molestare de iure, vel de facto, aliqua ratione, vel causa. Preterea dictus cominus comes presenti, audienti, et hoc petenti dicto Ruggerio animo obligandi se sponte est confessus, quod certa alia bona stabilia, sita in civitate Rhegii, et eius tenimentum, ipsi, seu ipsa, fuerunt et sunt bona ipsius Ruggerii, et in eis, vel ipsorum, vel aliquo, nullum ius habuit, nec habet. Et si forte dictus comes, quod non crediti in dictis bonis, seu villanis, vel ipsorum aliquo, ius aliquod dominium, proprietatem, actionem realem, vel personalem, directam, vel indirectam habebat, habet, vel habere poterit, seu sperabat, et sperat habere quocumque iure, modo, vel causa ipsa ex nunc prout, ex tunc dictus comes a se, suisque heredibus, perpetuo alienans omnino ipsa per eundem Ruggerium, suosque heredes in perpetuum cessit, transtulit, ac renunciavit expresse, et eidem Ruggerio dedit et cessit ad habendum, dictus Ruggerius, de

cetero semper tamquam verus dominus et patronus ipsorum, dictusque comes teneatur et debeat per se, suosque heredes et successores in dicta terra Sinopolis, dicto Ruggerio, suisque heredibus et successoribus, dictum pheudum, cum iuribus suis omnibus defendere, discalumniare, et disbrigare ab omnibus, et singulis personis publicis, et privatis, extraneis et coniuncti, ecclesiasticis et secularibus, et specialiter a domino nostro rege et retrahere, et liberare supra ipsum pheudum ab omni alio onere et servitio servitutis, preterquam a dicto pheudali servitio dimidii militaris servitii dicto comiti ut predicatur prestandi. Ceterum dictus dominus comes si quod ius habebat, habet, vel habere poterat, quomodocumque, vel qualiterumque, in toto pheudo dicto et nominato de Libonisio, seu de Bonisio, sito ubicumque in dicto Iustitiariato Calabrie, consistente in casalibus, nemoribus, terris cultis, et incultis, aquis, aquarumque decursibus, tenimenti, territoriis, aedificiis, requisitionibus, honoribus, hominibus, et vassallis, nec non et in omnibus pheudis que dictus Ruggerius tenet et possidet omni via, modo, forma, et causa quibus melius de iure, ritu, seu consuetudine, facere potest a se, suosque heredibus et successoribus perpetuo alienans omnino, ipsa ex nunc dicto Ruggerio, suisque heredibus et successoribus in perpetuum, perpetuo dedit, donavit, cessit, remisit, relaxavit et transtulit, ut possit inde agere, nec non excepere, replicare, partiri, et experiri. Et generaliter omnia alia et singula utilia micta, et directa facere, in premissis, et quolibet premissorum que certus et legitimus dominus, de re propria pheudali, seu burgensatica, facere potest et debet. Et que dictus dominus comes facere possit si presentem donationem, innovationem, cessionem, traditionem et omnia, et

singula supra infrascripta, et confirmationem non fuisset perpetuo iure et tituli supradicti. Quam donationem, cessionem, innovationem, et confirmationem, et omnia et singula supra et infrascripta ambe partes predictae ad invicem: una alteri sponte convenerunt et promiserunt, per stipulationem solemnem, ac iuraverunt, et ad invicem una alteri ad Sancta Dei Evangelia, corporaliter tacto libro, rata semper habere, firma tenere, observare, et in nullo contrafacere, vel venire, et contra ipsa vel ipsorum aliquod directe, vel indirecte, per se, vel alium ipsorum nomine in iudicio, vel extra, nullo tempore non facere, vel venire ad litem, vel controversiam ad invicem, vel eorum heredibus de premissis omnibus non inferre, nec inferenti consentire, sed ei resistere obligatione presenti se quilibet eorum ad poenam unciarum auri trecentarum, se ad invicem stipulatione premissa, et totidem regie curie persolvenda, me predicto notario publico poenam ipsius curie tangentem per partes omnium quorum, vel cuius interest legitime stipulante. Et teneri se ad invicem ambe partes predictae. Una pars alteri ad omnia damna, expensas et interesse propter ea facta, vel facienda, in Curia, vel extra curiam resarcire. De quibus damnis et expensis, ambe partes predictae, se ad invicem heredi voluerunt, simplici assertioni alteri partes praedictae observanti. Renunciantes primum ambe partes predictae, ibi ad invicem, omni auxilio iuris et facti, exceptioni doli, fraudis, ignorantie, metus, seu vis, in statutum, conditionem simulatm causa privilegium fori, restitutionem in integrum, beneficium appellationis, et legi que deceptis subvenitur, et succurritur, et legi, seu legibus, per quam, seu quas, propter ingratitudinem vel propter natos, seu nascituros filios, et si ad inopia urgeret et uncias quingentas

aureas qualiterumque et quomodocumque donatio esset facta, revocatur et deceptis succurritur. Et generaliter omnibus aliis iuribus, et legibus constitutionibus, et consuetudinibus regiis, capitalis scripto, et non scripto, iuri canonico, vel civili, et specialiter illi, vel illis iuribus que prohibent in contractibus renunciaciones fieri generales. Quos poenas toties aliqua predictarum partium, a se, eorumque heredibus et successoribus, committi et exigi voluit per eundem iudicem, predictam personam, suique heredes eligerint summarie et de plano, sini libelli oblationem, et litis contestationem, strepitu et figura, iudicii appellatione, aliqua non obstante ex sola ostensione et presentatione, presenti instrumenti quoties aliqua predictarum partium, vel sui heredes in premissis, vel premissorum aliquo contigerit facere, vel venire. Volentes ambe partes predictae, quod si aliquem eorum, vel suos heredes contra premissa, vel promissorum, aliquod contigerit facere, vel venire, que poena punitur per poena pecuniariam; quod omnes predictae poene simul exiguntur a contravenientibus, et una per aliam non tollatur nec suspendatur, sed de utraque simul, vel separato, que poena punitur per poenam pecuniariam; quod omnes predictae poene simul exiguntur a contravenientibus, et una per alia non tollatur nec suspendatur, sed de utraque simul, vel separato, agi et actio fieri posset. Insuper convenit ex pacto inter partes easdem solemniter habere, et firmata quod presens instrumentum non mutata forma facti, et substantia veritatis, semel bis et amplius possit et valeat refici et emendari ad instantiam et petitionem earundem partium predictarum, non obstante absentia, presentia, vel requisitione aliquorum predictarum partium quibus contra predicta, vel aliquod predictorum venire posset

aliqua pars predictarum, vel se tueri, vel iuvare valere aliqua ratione, allegatione iure modo, vel causa. Qua poena commissa soluta, vel non predictis omnibus et singulis in suo robore permanentibus. Consentiens prius predictus dominus comes in predictum iudicem et notarium expresse cum ex certa eius scientia sciret, me suum iudicem in hac parte non esse superius, autem ubi in principio in septima linea legitur «servire tenentur per predictos».

1

2

Unde ad futuram memoriam, et utriusque partis predictae de premissis perpetuo cauthelam rogatu, ambarum partium predictarum facta sunt eis exinde duo publica instrumenta, quorum unum est presens per manus mei predicti notarii scriptum et subscriptum, nostrum qui supra iudicis et subscriptorum testium subscriptionibus roboratum. Datum anno, mense, die, loco et inditione premissis. † Ego qui supra Bernardus de Prelato, iudex civitatis Rhegii. † Ego Ioannes Moleti de Rhegio miles, magne regie curie magister rationalis predicta testor. † Ego Emanuel de Gustaruti testor. † Ego Thomasius Ruffus de Catanzario, magnifici domini comiti Catanzarii filius, predicta testor. † Ego Enricus de Amantea miles testor. † Ego Thomasius de Amantea predicta testor. † Ego presbyter Iordanus de Catanzario predicta testor. † Ego Petrus Plutinus de Stilo predicta testor. † Ego Nicolaus Tropeanus testor. † Ego Guglielmus Valderi de Stilo predicta testor. † Ego qui

Eosdem, soprascritto d'altra mano

Così nel testo, sopra d'altra mano: ad id

supra Ioannes de Macua de Rhegio publicus per totum
Ducatum Calabrie, regia autoritate notarius, presens
scriptum scripsi et me subscripsi.